

Trachinias et Philoctetem; Alcestidis Fragmentum et Rhesum. Sub calce Troadum, quæ fabula volumen claudit, scribitur; *Librum hunc Tragædiarum Sophoclis et Euripidis acquisivit Ludovicus Bourguetus Nemausensis a Doctore Antonio de Bianchi, Veronæ d. 4. Octobris Anno Domini Mill. Septingentesimo secundo.* Lectiones quasdam egregias, Musgravio prætermittas*, nobis Codex ille subministrat. Aldina paulo melior plerumque tamen cum Aldina consentit. Glossas etiam paucas habet nunc iisdem verbis, ac apud Hesychium, nunc diversis expositas. De Choricis quomodo digesti versus fuerint, nihil notavi; neque quidquam habeo, quod dicam de Codicis ætate.

Hoc superstite, possumus quidem Euripidis studiosis gratulari. Cum vero mens humana dolore magis afficitur propter res amissas quam gaudio propter easdem servatas, quis desiderii sit pudor aut modus Codicis, non vulgaris bonitatis, amissi vel, quod perinde est, ad nostram editionem spectata re, latentis, modo vivat adhuc, in tenebris Bibliothecarum; Codicis dico Florentini. Cujus collationem Is. Vossius instituebat. Vossianum Fl. librum cum editione Plantiniana † contulit Ruhnkenius in usum Musgravii. Quamnam autem editionem ipse Vossius adhibuerit, neminem novi, qui clare dixerit. Ea res est non magni profecto momenti, nisi, cognita illa, certiores ut fiamus utrum necne liber ille præstantissimus, qui solus 320. servavit Aldina fuerit MSSth, integrior in lacunis, quas H. Stephanus supplevit

* Hujus rei excusationem humanitus fecit Brunckius in Præfatione apud Beck. tom. III. p. ix. col. 1. Verum ex ipsa patet excusatione, quam necessarium sit examen Codicum iteratum in iis fabulis, quas Brunckius neglexit. Utinam Boissonadus, unus omnium inter Gallos his litteris deditus, collationem Codicum Euripidis Parisiensium, ad exemplar collationis Hesychii Schowianæ, instituat et publici juris faciat. Quanti fructus uberrimi proventuri sint in Rem litterariam, non opus est quod recenseam.

† Patet hoc ex notis Musgravii ad Troad. 183. (159. meæ edit.)